opera uestra coram hominibus, sed plus me delectat quod ipsa
ueritas tamquam pastor bonus, & ideo doctor bonus
quodammodo nos ammonuit, quemadmodum intellegere
debeamus quod ait, Ingredietur & egredietur &
pascua inueniet, cum secutus adiunxit, fur non uenit
nisi ut furetur & mactet & perdat, Ego ueni ut uitam
habeant & habundantius habeant, Uidetur
enim mihi dixisse, ut uitam habeant ingredientes &
abundantius habeant egredientes, Non enim potest
quisque per hostium id est per xpm egredi ad aeternam uitam
quae erit in specie, nisi per ipsum hostium hoc est per eundem xpm
in aecclesiam quae est ouile eius intrauerit ad uitam tempora
lem quae est in fide, Ideo ait, Ego ueni ut uitam habeant
hoc est fidem quae per dilectionem operatur, per quam fidem in
ouile ingrediuntur ut uiuant, quia iustus ex fide uiuit, &
habundantius habeant, qui perseuerantes usque in finem,
per illud ostium id est per fidem xpi egrediuntur, quia ueri fideles
moriuntur, & habundantius habebunt uitam ueniendo quo
pastor ille praecessit, ubi numquam deinde moriantur, Quam
uis ergo & hic in ipso ouile non desint pascua quia ad utrumque
quae possimus intellegere quod dictum est & pascua inueniet
id est & ad ingressum & ad egressum, Tamen tunc uere pascua
inuenient ubi saturabuntur qui esuriunt & sitiunt iustitiam
qualia pascua inuenit cui dictum est, hodie mecum eris in pa
radiso, Quomodo autem ipse sit ostium ipse pastor ut per se ipsum quo
dammodo etiam ipse ingredi & egredi intellegatur & quisnam
sit ostiarius longum est hodie quaerere & disseren
do sicut ipse donauerit explicare,

EXPLICIT XLV INCIPIT XLVI

HABEO QUOD DICTUM EST EGO SUM PASTOR BONUS
BONUS PASTOR ANIMAM SUAM DAT PRO
OUIBUS SUIS USQ; AD ID QUOD AIT MERCENARI
US AUTEM FUGIT QUIA MERCENNARIUS EST
ET NON PERTINET AD EUM DE OUIBUS

© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_207/0178
UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991